



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De presbytero si vxorem acceperit, deponatur. cviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

Quòd magnum periculum sit aliquem fieri iudicem vitæ alienæ, qui nescit suam temperare. Cap. CVI.

**A**dmonendi sunt presbyteri, vt perpendant, quia *Ex dictis August.* quicquid à fidelibus datur, redemptio peccatorum est: & ideo non gloriantur talibus sumptibus uti, sed magis timeant quod in veteri testamento de sacerdotibus dictum est, iniquitatē populi eos debere portare. Et ideo cum magno timore super eos solliciti sint, quorum donis participantur: quia magnum periculum est iudicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.

Vt presbyteri iuxta Ecclesiam hospitentur. Cap. CVII.

**V**T presbyteri nullatenus vbiunque hospitari finantur, aut aliquo modo ipsi præsumant, sed assiduè apud *Ex cõcil. Meldēsi. cap. 5.* suas Ecclesias esse studeant. propter sacra mysteria, vel ministeria, fidelibus exhibenda, nec etiam alibi habitare permittantur. Neque mulieres quamcunque habitationem habeant in locis, in quibus presbyteri aliquem recursum habuerint. Quòd si obseruare paruipèderint, ita vt transgressores, & qui contra interdicta fecerint iudicentur.

De presbytero, si vxorem acceperit deponatur.

Caput CVIII.

**P**resbyter si vxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si *Ex cõcil. Niocasa riensi, c. 1* verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiã redigi. Simili modo etiam diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerij subtrahatur.

De eadem re. Cap. CIX.

**I**nterdixit per omnia magna synodus nõ episcopo, non *Ex cõcil. Nicæno, cap. 3.* presbytero, non diacono, vel alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.

De eadem re. Cap. CX.

**F**oeminas verò non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinis causas habitare cum iisdē synodus Nicæna permisit. *Ex decr. Syricii p. cap. 12.*